Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vincula jugalia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

A pſittacorum,& phœnicopterum, & aliarum pictarum avium plumulis intexuntur, opere tam venuſte variato, ut nihil delectabilius poſſit oculis offerri. Nam quod ſuperius dicebamus, hanc pro fortitudine poni, cinctus ipſe apud Romanos ſtrenuum ſignificat, uti diſcinctus imbellem, & ignavum, ac nihili hominem notat. Tertulliano zona tormentum eſt. Hilario, efficax in omne opus bonum apparatus, ut ad omne miniſterium Chriſti voluntatis cingulo ſimus accincti.

VINCULA JUGALIA. CAP. XLVI.

JUgalia vero vincula quæ ſint, apud Poëtas omnes vulgata ſunt, Nova ſane nupta cingulo præcingebatur ex lana ovilla facto, quod vir prima nocte, in Deæ virginalis honorem, ſponſæ accubans in lecto ſolvebat. Unde Homerus, λῦσαι δὲ παρθενίην ζώνην. E apud Ovidium: *Novæ nuptæ cingulū*

Caſtaque fallaci & zona recincta manu. *Solvere virginalem zonam.*

Eoque ſpectat Catullianum illud,

Qui zonam ſolvit diu ligatam,

Indicabat vero hieroglyphicum hoc, ut ſicut illa in glomos ſublata conjuncta inter ſe eſt, ſic vir
B ſuus ſecum cinctus junctuſque eſſet. Cingulumque hoc Herculaneo nodo vinctum, vir omnis gratia ſolvebat, ut ſic & ipſe in liberis ſuſcipiendis felix eſſet, quemadmodum Hercules fuit, qui liberos ſeptuaginta reliquiſſe fertur.

PUERPERIUM. CAP. XLVII.

QUin etiam zonæ ſolutio puerperii fuit hieroglyphicum: olim ſiquidem *Solvere zonam* dicebantur, quæ primo pariebant, eaque de cauſa levatæ partu mulieres, zonam Dianæ dicabant. Unde fanum Solvizoniæ Dianæ Athenis fuit, de quo apud Apollonium Argonauticis.

TEMPERANTIA. CAP. XLVIII.

HAbent & Divinæ literæ hieroglyphicum quod per zonam cingulumve ſignificent, præcipue vero temperantiam & moderationem, qua fluxæ animorum cupiditates coërcentur, luxuriantia compeſcuntur, & modus denique imponitur rebus, ut quinto ſupra quadrageſimum Pſalmo legas, *Zona in Divinis ſignificatio.*
Regis filiam in cingulis aureis conſpicuam, quod alii in fimbriis tranſtulere. Apoſtolus tamen præcincti
C circa lumbos zonis aureis dixit, quod pro cordis munditia nonnulli interpretantur, alii veſtem auro *In Apocal.*
contextam ſimpliciter accepere. Verum Euthymius zonam agnoſcit, & pro temperantia atque modeſtia, quæ concupiſcibilem animæ partem coërcet, interpretatur: non hoc dicturus, ſi veſtem ſimpliciter agnoviſſet, Quamquam & fimbriarum non reſpuit ornatum, & virtutum inde multiplicitatem non averſatur.

DE PERA. CAP. XLIX.

POſita zona, viſum eſt κατὰ πάρεργον & Peram apponere: nam & zona ipſa ſæpe pera eſt: ut apud Horatium:

Ibit eò quò vis qui zonam perdidit. *Horat. in epiſtolis.*

Hæc tam apud Græcos quam apud Hebræos hieroglyphicum habet id, quod pro cura & ſolicitudine victus accipitur, unde Theologi transferunt ad impedimenta humanæ vitæ, quæ animum alioqui *Hinc ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν, ultra peram ſapere & eſſe ſolicitum.*
D paratum ad diſciplinas interturbant. Græci ſuper hoc dicunt, *Diogenes cui pera penus*, cui ſcilicet minima harum rerum cura. Evangelium quoque, *Nam peram in via*, cum nec quidem ſolicitos eſſe de craſtino imperaverit Dominus. Eodem facit & ſacculus, quem habere non licet, hoc eſt, in hac peregrinatione minime theſaurizandum eſſe. Quod ibi apertius: *Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt,* *Lucianus in Timone.*

HIEREMIÆ CINGULUM. CAP. L.

EJuſmodi eſt & cinguli ſignificatum, quod ex lino factum, eoque cingere ſe juſſus eſt Hieremias. Quod quidem ut manifeſtius intelligatur, exigit locus, ut de lino quædam altius repetamus. *Lini & hominis comparatio.*
Linum enim ex terra naſcitur, ſatumque prius in gramen pullulat, mox ut flore laſcivierit, vellitur, aqua immerſum maceratur, exſiccatum mox frangitur, & quoquo verſum perdomatur, inde

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN